

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Quintum Evangelium in Dominica secunda Quadragesimae: *Assumpsit Iesus Petrum.*

In primis sermo ad praedicatores, ibi: *Ascende ad me in montem.*

Item sermo ad poenitentes vel religiosos, ibi: *Cum veneris ad quercum Thabor.*

Item sermo in Nativitate Domini vel festo beatae Mariae, ibi: *Vidit Iacob scalam in somnis.*

Item sermo ad fideles Ecclesiae, ibi: *Moyses et Aaron,* et de proprietate sapphyri.

Item sermo de discretione, ibi: *Nasus tuus sicut turris Libani* etc.

Item sermo de contemplatione, ibi: *Gustate et videte,* et de proprietate solis.

Item sermo de Dei misericordia circa peccatores conversos, ibi: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum.*

Item sermo ad praelatum, ibi: *Et apparuerunt Moyses et Elias.*

Item sermo in dedicatione ecclesiae vel in festivitate martyris vel confessoris, ibi: *Postquam perfecta sunt cuncta.*

Exordium. Sermo ad praedicatores

1. --- *Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem, et duxit eos in montem excelsum valde* etc. (Mt 17, 1).

Locutus est Dominus ad Moysen in Exodo, dicens:

Ascende ad me in montem et esto ibi; et dabo tibi duas tabulas, legem ac mandata, quae scripsi, ut doceas filios Israel (Ex 24, 12).

Moyses interpretatur aquaticus, et significat praedicatorem, qui aqua doctrinae *salientis in vitam aeternam (Io 4, 14)* mentes fidelium irrigat. Huic dicit Dominus: ***Ascende ad me in montem.*** Mons, propter sui altitudinem, sanctae vitae excellentiam significat, in qua praedicator, relicta valle temporalium, per scalam divini amoris debet ascendere; et ibi inveniet Dominum. In vitae enim sanctae excellentia invenitur Dominus. Unde dicitur in Genesi: ***In monte Dominus videbit (Gen 22, 14)***, idest in sanctae vitae excellentia videre et intelligere faciet quid Deo, quid debeat proximo.

Dabo, inquit, tibi duas tabulas. In duabus tabulis utriusque Testamenti scientia designatur, quae sola scit scire, sola scientes facere; haec est sola scientia, quae Deum docet diligere, mundum contemnere, carnem subicere. Haec praedicator debet docere filios Israel, in quibus tota lex pendet et prophetae (Cf. Mt 22, 40). Sed, ubi invenitur haec tam pretiosa scientia? In monte, vere. ***Ascende, inquit, ad me in montem, et esto ibi,*** quia ibi est ***mutatio dexterarum Excelsi (Ps 76, 11)***, transfiguratio Domini, contemplatio veri gaudii. Unde de ipso monte dicitur in hodierno Evangelio: ***Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum et Iohannem etc.***

2. --- Nota quod in hoc Evangelio quinque valde notabilia notantur: Iesu Christi cum tribus apostolis in montem ascensio, ipsius transfiguratio, Moysi et Eliae apparitio, nubis lucidae obumbratio et paternae vocis - ***Hic est filius meus carissimus*** - protestatio. Ista quinque, prout Deus inspirare voluerit, quid moraliter significant, ad honorem Dei et utilitatem animarum vestrarum, videamus.

I - De Iesu Christi cum tribus apostolis in montem ascensione

3. --- Dicamus ergo: *Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum et Ioannem.* Isti tres apostoli et speciales socii Iesu Christi tres nostrae animae virtutes intelliguntur, sine quibus nemo potest ascendere ad montem luminis, id est excellentiam sanctae conversationis. Petrus interpretatur agnoscens, Iacobus supplantator, Ioannes Domini gratia. *Assumpsit ergo Iesus Petrum* etc. Assume et tu, qui credis in Iesum et salutem speras a Iesu, Petrum, id est tui peccati notitiam, quod consistit in tribus, in cordis scilicet superbia, in carnis lascivia, in mundi avaritia. Assume et Iacobum, id est supplantationem istorum vitiorum, ut sub planta rationis conteras tui spiritus superbiam, mortifices tuae carnis lasciviam, reprimas fallacis mundi vanitatem. Assume etiam Ioannem, id est Domini gratiam, quae stat ad ostium et pulsat, ut te illuminet ad cognoscendum mala quae fecisti et te conservet in bono quod incepisti.

Isti sunt illi tres viri, de quibus dixit Samuel ad Saul, in primo libro Regum: *Cum veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri, ascendentes ad Deum in Bethel: unus portans tres haedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini (1 Reg 10, 3).* Quercus Thabor et mons Thabor sanctae vitae excellentiam significant, quae bene dicitur quercus et mons et Thabor: *quercus*, quia constans et inflexibilis per finalem perseverantiam; *mons*, quia alta et sublimis per Dei contemplationem; *Thabor*, quod interpretatur lumen veniens, per boni exempli illuminationem. In sanctae vitae excellentia haec tria requiruntur, ut sit constans in se, contemplativa ad Deum, illuminans proximum. *Cum ergo veneris*, id est venire vel ascendere disposueris *ad quercum* vel ad montem *Thabor*, *invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel.* Isti tres viri sunt Petrus, id est agnoscens, Iacobus, id est supplantator, Ioannes, id est Domini gratia.

Petrus portat tres haedos, iacobus tres tortas panis, iohannes lagenam vini.

Petrus, idest ille qui se agnoscit peccatorem, portat tres haedos. In haedo notatur foetor peccati. In tribus haedis, tria genera peccatorum, per quae principaliter peccamus: in cordis scilicet superbia, in carnis petulantia, in mundi avaritia. Qui ergo vult ad montem luminis ascendere istos tres haedos debet portare, idest in his tribus se peccatorem agnoscere.

Iacobus, idest ille qui carnis vitia supplantat, tres tortas panis portat. Panis suavitatem significat mentis, quae consistit in cordis humilitate, corporis castitate, paupertatis amore; quam suavitatem nemo habere poterit nisi prius vitia supplantaverit. Tres ergo tortas panis, idest triplicem mentis suavitatem, portat, qui cordis superbiam reprimit, carnis petulantiam restringit, mundi avaritiam abicit.

Iohannes, idest ille qui, Domini gratia praeveniente et subsequente, haec omnia fideliter et perseveranter conservat, vere lagenam vini portat. Vinum in lagena est gratia Sancti Spiritus in bona voluntate.

Assumpsit ergo Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem. Assume et tu istos tres viros, et ascende in montem Thabor.

4. --- Sed, crede mihi, difficilis est ascensus, quia mons est excelsus. Vis ergo facillime ascendere? Habeas illam scalam, de qua legitur et cantatur sic in historia praesentis dominicae: *Vidii Iacob in somnis scalam erectam vel stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae (Gen 28, 12-13)*. Nota verba singula, et erit Evangelii

concordantia. *Vidit*, ecce peccati notitiam, de qua dicit beatus BERNARDUS: Non mihi det Deus aliam visionem videre nisi peccata mea cognoscere. *Iacob*, idem quod et Iacobus interpretatione, ecce carnis supplantatio; de ipso enim dixit Esau: *En supplantavit me altera vice (Gen 27, 36)*. *In somnis*, ecce Domini gratia, quae somnum quietis et pacis inducit. Somnus sic describitur a PHILOSOPHO: Somnus est quies animalium virtutum, cum intensione naturalium. Cum enim aliquis dormit somno gratiae, quiescunt in eo carnalia ab operibus suis pravis et intenduntur spiritualia. Unde dicitur in Genesi: *Cum sol occubuisset, sopor irruit super Abraham, et horror magnus invasit eum (Gen 15, 12)*. Per solem hic intelligitur carnalis voluptas, quae cum occumbit, sopor, idest extasis contemplationis, irruit super nos, et horror magnus invadit nos de peccatis praeteritis et de poenis inferni. Vis audire intensionem spiritualium cum remissione carnalium? *Ego*, inquit sponsa in Canticis, *dormio*, idest quiesco ab amore temporalium, *et cor meum vigilat (Cant 5, 2)* in contemplatione caelestium. Bene ergo dicitur: *Vidit Iacob in somnis scalam*, per quam potes ascendere in montem Thabor.

5. --- Nota quod ista scala duo habet brachia et sex gradus, per quos patet ascensus. Ista scala significat Iesum Christum; duo brachia, divinam et humanam naturam; sex gradus sunt ipsius humilitas et paupertas, sapientia et misericordia, patientia et obedientia. Humilis fuit in nostrae naturae susceptione, cum *respexit humilitatem ancillae suae (Lc 1, 48)*. Pauper, in sua Nativitate, in qua paupercula Virgo, pariens ipsum Dei Filium, non habuit ubi reclinaret, nisi quia pannis involvit et in praesepio pecoris reclinavit. Sapiens fuit in sua praedicatione, quia *coepit facere et docere (Cf. Lc 2, 7)*. Misericors fuit in peccatorum affabili susceptione: *Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores (Mt 9, 13)* ad poenitentiam. Patiens, inter flagella, alapas et sputa;

unde ipse dicit per Isaiam: *Posui faciem meam ut petram durissimam (Is 50, 7)*. Petra, cum percutitur, non repercutit; nec contra se frangentem remurmurat. Sic Christus: *cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur (1 Pt 2, 23)*. *Obediens etiam fuit usque ad mortem, mortem autem crucis (Phil 2, 8)*. Haec scala super terram stabat, cum praedicationi et miraculorum operationi insistebat; caelum tangebatur, cum in oratione Domini, ut dicit Lucas, pernoctabat (Cf. Lc 6, 12).

Ecce scala est erecta. Quare ergo non ascenditis? Quare manibus et pedibus super terram reptatis? Ascendite ergo, quia Iacob vidit angelos ascendentes et descendentes per scalam. Ascendite ergo, o angeli, o Ecclesiae praelati, o fideles Iesu Christi; ascendite, inquam, ad contemplandum quam suavis sit Dominus (Cf. Ps 33, 9); descendite ad subveniendum, ad consulendum, quia his indiget proximus. Cur nitimini per aliam viam quam per scalam ascendere? Undecumque volueritis ascendere imminet vobis praecipitium. *O stulti, et tardi corde, non dico ad credendum (Lc 24, 25)*, quia creditis, et daemones etiam credunt (Cf. Iac 2, 19); sed duri et lapidei ad operandum! Confiditis vos posse ascendere per aliam viam ad montem Thabor, ad requiem luminis, ad gloriam caelestis beatitudinis, nisi per scalam humilitatis, paupertatis, dominicae Passionis? Vere non, quia verbum Domini est: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Mt 16, 24)*. Et in Ieremia: *Patrem me vocabis, et post me ingredi non cessabis (Ier 3, 19)*. Potionem amaram, ut dicit AUGUSTINUS, prius bibit medicus, ut non abhorreat bibere aegrotus. Per amarum, inquit GREGORIUS, poculum potionis pervenitur ad gaudium sanitatis. Ut animam redimas, ferrum patieris et ignes. Ascendite ergo, ne timeatis, quia Dominus innixus est scalae, paratus suscipere ascendentes. *Assumpsit ergo Iesus Petrum et*

Iacobum et Ioannem, et ascendit in montem excelsum.

II - De Iesu Christi transfiguratione

6. --- Sequitur secundum. *Et transfiguratus est ante eos (Mt 17, 2)*. Huic ergo figurae te quasi mollem ceram imprime, ut figuram Iesu Christi possis recipere, quae talis fuit: *Et resplenduit facies eius sicut sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix (Mt 17, 2)*. In hac auctoritate quattuor notantur: facies et sol, vestimenta et nix. Quid facies et sol, quid vestimenta et nix moraliter significant videamus.

Nota quod in anteriori capitis, quod dicitur facies hominis, sunt tres sensus, ordinatissima via et dispositione ordinati: visus, olfactus et gustus. Olfactus vero, quasi quaedam trutina inter visum et gustum est positus. Similiter in facie nostrae animae sunt tres sensus spirituales, summi artificis sapientia recto ordine dispositi: visus scilicet fidei, olfactus discretionis, gustus contemplationis.

7. --- De visu fidei legitur in Exodo, quod *Moyses et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senibus Israel viderunt Dominum Israel; et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, et quasi caelum quod serenum est (Ex 24, 9-10)*. In hac auctoritate describuntur omnes illi qui vident, et quid videre, id est credere, debeant oculo fidei. *Moyses et Aaron* etc. Moyses interpretatur aquaticus et significat omnes religiosos, qui aquis lacrimarum debent perfundi. Ad hoc enim sublatis sunt de flumine Aegypti, ut seminent in hac solitudine horribili in lacrimis, et postea in exultatione metant in terra promissionis. Aaron, summus pontifex, interpretatur montanus, omnes maiores Ecclesiae praelatos significat, qui in monte dignitatis sunt constituti. Nadab, qui interpretatur spontaneus, omnes subditos, qui sponte, non coacte, debent obedire. Abiu,

qui interpretatur pater eorum, significat omnes illos qui secundum formam Ecclesiae matrimonio sunt coniuncti, ut sint patres filiorum. Septuaginta de senibus Israel omnes significant baptizatos, qui septiformis gratiae Spiritum in Baptismo susceperunt.

Isti omnes vident, idest credunt, et videre, idest credere, debent Deum Israel. *Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini* etc. Ecce quid credere debent. In hoc quod dicit *Dominum Israel*, ecce divinitas; in hoc quod dicit *sub pedibus eius*, ecce humanitas Iesu Christi, quem debemus credere verum Deum et verum hominem. De his pedibus dicit Moyses in Deuteronomio: *Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius (Deut 33, 3)*. Unde dicitur quod Maria sedebat ad pedes Domini et audiebat verbum illius (Cf. Lc 10, 39). Sub pedibus ergo Domini, idest post Incarnationem Iesu Christi, apparuit opus Domini, quasi lapidis sapphirini et quasi caelum quod serenum est. Lapis sapphirus et caelum serenum eiusdem sunt coloris.

Et nota quod sapphirus quattuor habet proprietates: stellam in se ostendit, anthracem perimit, sereno caelo est similis, sanguinem restringit. Lapis sapphirus sanctam Ecclesiam significat, quae post Christi Incarnationem incepit et usque in finem saeculi durabit. Haec dividitur in quattuor ordinibus, scilicet apostolis, martyribus, confessoribus et virginibus, quos per quattuor proprietates lapidis sapphiri recte intelligimus.

Sapphirus in se stellam ostendit; et in hoc apostolos significat, qui stellam fidei matutinam sedentibus in tenebris et umbra mortis (Cf. Lc 1, 79) primi ostenderunt. Sapphirus anthracem, quae est morbus mortalis, tactu suo perimit; et in hoc significat martyres, qui anthracem idolatriae suo martyrio peremerunt. Sapphirus, qui caelesti colori est similis, confessores significat, qui,

omnia temporalia reputantes tamquam stercora, fune divini amoris in contemplatione caelestis beatitudinis se suspenderunt, dicentes cum Apostolo: *Nostra conversatio in caelis est (Phil 3, 20)*. Item, sapphirus sanguinem restringit; et in hoc significat virgines, qui amore caelestis sponsi, sanguinem carnalis concupiscentiae in se omnino restrinxerunt. Hoc est admirabile opus lapidis sapphirini, quod apparuit sub pedibus Domini. Ecce aperte habes quid anima tua debet videre et oculo fidei quid debet credere.

8. --- De olfactu discretionis dicitur in Cantico amoris: *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum (Cant 7, 4)*. In hac auctoritate sunt quattuor verba valde notabilia: nasus, turris, Libanus et Damascus. In naso discretio; in turre humilitas; in Libano, qui interpretatur candidatio, castitas; in Damasco, qui interpretatur sanguinem bibens, malitia diaboli designatur. Nasus ergo animae est virtus discretionis, per quam, tamquam per nasum, odorem a foetore, vitium a virtute debet discernere et res etiam longe positas, idest tentationes diaboli venturas, praesentire. Unde dicit Iob de viro iusto: *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus (Iob 39, 25)*. Anima enim fidelis naso, idest virtute discretionis, praesentit *bellum* carnis et *exhortationem ducum*, idest suggestiones vanae rationis, quae per duces intelliguntur, ne sub specie sanctitatis cadat in foveam iniquitatis; *et ululatum exercitus*, idest tentationes daemonum, qui tamquam bestiae ululant. Ululare enim proprie est bestiarum.

Iste nasus sponsae debet esse sicut turris Libani: in humilitate enim cordis et castitate corporis maxime consistit virtus discretionis. Et bene humilitas dicitur turris castitatis, quia sicut turris defendit castrum sic humilitas cordis defendit castitatem corporis a iaculis fornicationis. Si talis fuerit nasus sponsae, bene poterit respicere

contra Damascum, idest diabolum, qui bibere cupit sanguinem animarum nostrarum, eiusdem subtilitatis malitiam deprehendendo.

9. --- De gustu contemplationis dicit Propheta: *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus (Ps 33, 9)*. Gustate, idest mentis vestrae gutture terite et terendo recogitate, illius caelestis Ierusalem beatitudinem, animarum sanctarum glorificationem, angelicae dignitatis gloriam ineffabilem, Trinitatis et Unitatis perennem dulcedinem; quanta etiam erit gloria choris angelorum interesse, cum ipsis indefessa voce Deum laudare, praesentem vultum Dei cernere, manna divinitatis in urna aurea humanitatis conspiciere. Si haec bene gustaveritis, vere, vere videbitis quam suavis est Dominus. Beata illa anima, cuius facies talibus insignitur et decoratur sensibus.

Et nota quod olfactus, quasi quaedam trutina, ponitur inter fidei visum et contemplationis gustum. In fide enim discretio est necessaria, ne velimus accedere et rubum ardentem videre (Cf. Ex 3, 3), corrigiam calceamenti solvere (Cf. Lc 3, 16), idest secretum dominicae Incarnationis investigare. Crede tantum, et est satis. Non est tuae facultatis solvere corrigiam. *Scrutator*, inquit Salomon, *maiestatis opprimetur a gloria (Prov 25, 27)*. Firmiter ergo credamus et simpliciter confiteamur.

In contemplatione etiam est necessaria discretio, ut non plus de sapientia caelestis saporis sapiamus quam oportet sapere (Cf. Rom 12, 3). Unde Salomon in Parabolis: *Fili, invenisti mel, idest dulcedinem contemplationis, comede quod tibi sufficit, ne forte satiatus evomas illud (Prov l.c.)*. Ille mel evomit, qui, non contentus gratia gratis sibi data, humana ratione contemplationis dulcedinem indagare cupit: non attendens illud quod dicitur in Genesi, quia nascente

Beniamin, mortua est Rachel (Cf. Gen 35, 17-19). Per Beniamin gratia contemplationis, per Rachel humana ratio designatur. Nascente ergo Beniamin, moritur Rachel, quia mens in contemplatione super se elevata, dum de divinitatis lumine aliquid conspicit, omnis humana ratio succumbit. Rachel interitus rationis est defectus. Unde quidam dixit: Nemo illuc humana ratione venit ubi Paulus raptus fuit.

Sit ergo olfactus discretionis quasi quaedam trutina inter visum fidei et gustum contemplationis, ut facies nostrae animae resplendeat sicut sol.

10. --- Et nota quod in sole sunt tria: claritas, albedo et calor. Et vide quam bene istae tres proprietates solis tribus supradictis convenient animae sensibus. Claritas solis convenit visui fidei, quae sui luminis claritate invisibilia conspicit et credit; albedo, idest munditia vel puritas, olfactui discretionis. Et bene, quia sicut a re foetida claudimus et avertimus nasum, sic a peccati immunditia debemus discretionis virtute declinare. Calor etiam solis gustui convenit contemplationis, in qua vere est calor amoris. Unde dicit beatus BERNARDUS: Impossibile quippe est summum bonum videri et non amari; ipse enim Deus amor est.

Attendite ergo, carissimi, et videte quam utile, quam salubre est tres socios assumere et in montem luminis ascendere, quia ibi vere est transfiguratio de figura huius mundi, quae praeterit, in figuram Dei, quae permanet in saeculum saeculi; de qua dicitur: *Facies eius resplenduit ut sol*. Resplendeat et facies animae nostrae sicut sol, ut quod videmus fide clarescat in opere; et bonum, quod discernimus intus, discretionis virtute foris exequamur in actionis puritate; et quod gustamus de Dei contemplatione calore ferveat in proximi dilectione. Et sic facies nostra resplendet ut sol.

11. --- Sequitur: *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix (Mt 17, 2), qualia fullo non potest facere super terram (Mc 9, 2)*. Animae nostrae vestimenta sunt huius corporis membra; haec debent esse candida. Unde Salomon: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*. Sed quo candore? *Sicut nix*, inquit. Dominus promittit peccatoribus conversis per Isaiam: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (Is 1, 18)*. Nota hic duo: coccinum et nix. Coccinum est quidam pannus, qui habet colorem ignis et sanguinis. Nix est frigida et alba. In igne, ardor peccati; in sanguine, ipsius immunditia; in frigiditate nivis, Sancti Spiritus gratia; in albedine mentis munditia designatur. Dicit ergo Dominus: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum etc*, ac si diceret: Si ad me conversi fueritis, ego Sancti Spiritus gratiam infundam, quae et ardorem peccati extinguet et ipsius immunditiam abluet. Unde ipse dicit per Ezechielem: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (Ez 36, 25)*. Vestimenta ergo, idest membra corporis nostri, sint alba sicut nix, ut ardorem peccati extinguat frigiditas nivis, idest compunctio mentis, et peccati immunditiam abluat albedo sanctae conversationis.

Vel, vestimenta animae nostrae sunt virtutes, quibus induta in conspectu Domini apparet gloriosa. De his vestibus dicitur in historia praesentis dominicae, quod Rebecca vestibus valde bonis, quas apud se habebat, induit Iacob (Cf. Gen 27, 15). Rebecca, idest Sapientia Dei Patris, vestibus, idest virtutibus, bonis, quia ipsius Sapientiae manu et artificio contextis, quas apud se habet, in thesauro suae gloriae positas - habet vere, quia Dominus omnium et possessor; habet vere, quia dat cui vult et quando vult et quomodo vult - induit Iacob, idest virum iustum. Haec vestimenta sunt candida ab effectu, quia candidum faciunt hominem, non dico sicut nix, sed super nivem dealbant. Talia vestimenta fullo, idest

praedicator, in fullonia suae praedicationis non potest facere super terram.

III - De Moysi et Eliae apparitione

12. --- Sequitur tertium. *Et apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes (Mt 17, 3)*. Viro iusto sic transfigurato, sic illuminato, sic induto, apparent Moyses et Elias. Per Moysen, qui erat mansuetissimus super omnes homines, qui habitabant super terram (Cf. Num 12, 3), cuius *oculus*, ut dicitur in Deuteronomio, *non caligavit, nec dentes illius moti sunt (Deut 34, 7)*, patientiae et misericordiae mansuetudo intelligitur. Mansuetus dicitur, quasi manui assuetus. Ille vero tamquam filius, tamquam mansuetum animal, manui divinae gratiae est assuetus, cuius oculus, idest ratio, non caligat fuligine odii, nec confuscatur nubilo rancoris; cuius dentes non moventur contra aliquem per murmurationem, nec mordent per detractionem.

In Elia, qui, ut dicitur in tertio libro Regum, occidit prophetas Baal in torrente Cison (Cf. 3 Reg 18, 40), zelus iustitiae intelligitur. Baal interpretatur superior aut devorator; Cison, duritia eorum. Ille ergo, qui vere zelo iustitiae fervet, prophetas et servos superbiae, quae semper superiora petit, gulae et luxuriae, quae omnia devorant, interficit gladio praedicationis, comminationis et excommunicationis, ut vitio mortui, Deo vivant (Cf. Gal 2, 19). Et hoc facit in torrente Cison, idest abundantia duritiae cordis eorum, secundum quam thesaurizant sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei (Cf. Rom 2, 5).

De qua dicit Dominus Ezechieli: *Filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te; omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et dura cervice (Ez 2, 4; 3, 7)*. Ille habet attritam frontem qui, dum corripitur, non

solum correctionem contemnit, sed etiam de peccato non erubescit. Cui improperat Ieremias: *Frons meretricis facta est tibi; noluisti erubescere (Ier 3, 3)*. Moyses ergo et Elias, idest mansuetudo misericordiae et zelus iustitiae, cum viro iusto, in monte sanctae conversationis iam transfigurato, debent apparere, ut, tamquam Samaritanus, vulneribus sauciati infundat vinum et oleum, quatenus vini austeritas olei mollitiem exacerbet, et mollities olei vini austeritatem temperet.

Unde dicitur in Matthaeo, de angelo qui apparuit in Christi Resurrectione, quod aspectus eius erat sicut fulgur, et vestimenta eius sicut nix (Cf. Mt 28, 3). In fulgure iudicii severitas, in candore nivis mansuetudinis blandities designatur.

Angelus, idest praelatus, fulguris debet habere aspectum, ut ad ipsius sanctae conversationis mulieres, idest effeminatae mentes, expavescant intuitum. Sicut fecit Esther, de qua dicitur in eiusdem libro: *Cum rex Assuerus elevasset faciem et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit et, in pallorem colore mutato, lassum super ancillam caput reclinavit (Esth 15, 10)*. Sed praelatus, sicut fecit Assuerus, auream virgam benignitatis debet porrigere (Cf. Esth 15, 15), et vestimenta nivis induere, ut quos paterna corripuit austeritas, pia matris consoletur benignitas. Unde dicitur: *Verbera patris habens, ubera matris habe.*

Praelatus debet esse sicut pellicanus, qui, ut fertur, filios suos interficit, sed postea sanguinem de proprio corpore extrahit et super filios interfectos effundit et sic reviviscere facit. Sic praelatus filios suos, subditos suos, quos flagello disciplinae corripit et gladio asperae invectionis interficit, suo sanguine, idest mentis compunctione et lacrimarum effusione, quae, ut dicit AUGUSTINUS, sunt sanguis animae, debet ad poenitentiam,

in qua est vita animae, revocare.

IV - De paternae vocis, "Hic est filius meus carissimus", protestatione

13. --- Et si haec tria, scilicet montis ascensio, transfiguratio, Moysi et Eliae apparitio, in te praecesserint, quartum consequeris, de quo subditur: *Ecce nubes lucida obumbravit eos (Mt 17, 5)*. Simile habes in fine Exodi, ubi dicitur: *Postquam perfecta sunt cuncta, nubes operuit tabernaculum testimonii; et gloria Domini implevit illud (Ex 40, 31-32)*.

Nota quod in tabernaculo testimonii erant quattuor: candelabrum cum septem lucernis, mensa propositionis, arca testamenti et altare aureum (Cf. Ex 25, 31-37). Tabernaculum testimonii est vir iustus: *tabernaculum*, quia *vita eius militia est super terram (Iob 7, 1)*, ex tabernaculo enim solent milites armati hostes impugnare et ab ipsis impugnari, et vir iustus in pugna constitutus dum pugnat impugnatur, unde dicitur: "Ut bene tu pugnes, bene pugnans efficit hostis"; *testimonii*, quod habet non tantum ab his qui foris sunt (Cf. 1 Tim 3, 7), quorum testimonium aliquando verum non invenitur, sed a se ipso, cuius gloria est testimonium conscientiae suae (Cf. 2 Cor 1, 12), non alterius linguae.

In hoc tabernaculo testimonii candelabrum aureum, ductile, cum septem lucernis, est aurei cordis viri iusti compunctio, quae multiplicibus suspiriis quasi quibusdam malleis tunditur. Huius candelabri septem lucernae sunt tres haedi, tres tortae panis et lagena vini, quae portant supradicti tres socii viri iusti. Est etiam in tabernaculo viri iusti mensa propositionis, per quam sanctae vitae intelligitur excellentia, super quam debent poni panes propositionis, idest refectio praedicationis, quae omnibus est proponenda. Unde Apostolus: *Graecis et Barbaris*

debitor sum (Rom 1, 14). Ibi est et arca testamenti, in qua erant manna et virga. In arca, idest in mente viri iusti, debet esse manna mansuetudinis, ut sit Moyses, et virga correctionis, ut sit Elias. Est etiam ibi altare aureum, per quod intelligitur finalis perseverantiae firmum propositum. In hoc altari quotidie incensum offertur devotae compunctionis et thymiana odoriferae orationis.

14. --- Bene ergo dicitur: ***Postquam perfecta sunt cuncta, nubes operuit tabernaculum testimonii.*** Tale tabernaculum, in quo cuncta quae pertinent ad perfectionem sunt perfecta, operit nubes et implet gloria Domini, de qua dicitur in hodierno Evangelio: ***Et nubes lucida obumbravit eos.*** Virum enim iustum in monte luminis, idest sanctae conversationis, transfiguratum, obumbrat gratia Domini ab ardore mundanae prosperitatis, a pluvia concupiscentiae carnalis, a tempestate daemoniacae persecutionis; et sic audire meretur sibilum aurae tenuis (Cf. 3 Reg 19, 12), dulcedinem Dei Patris: ***Hic est filius meus carissimus, ipsum audite (Mt 17, 5).*** Vere Dei filius dignus est nominari, qui tres supradictos socios assumpsit, in montem ascendit, seipsum de figura mundi in figuram Dei transfiguravit, Moysen et Eliam socios habuit, et nube lucida obumbrari meruit.

Rogamus ergo, Domine Iesu, ut de valle miseriae nos ascendere facias in montem sanctae vitae, ut tuae Passionis figura impressi et misericordiae mansuetudine et zelo iustitiae conditi, in die iudicii mereamur nube lucida obumbrari et vocem iucunditatis, laetitiae et exultationis audire: ***Venite, benedicti Patris mei, qui vos benedixit in monte Thabor, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi (Mt 25, 34).*** Ad quod regnum ipse nos perducere dignetur, cui est honor et gloria, laus et imperium, maiestas et aeternitas in saecula saeculorum. Dicat omnis spiritus: Amen.